



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Vita S. Adelheidis Imperatricis Ottonis I. Imperatoris Conivgis, Qvae Cvm
Marito Praecipva Fvndatrix Monasterii nostri exstitit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



VITA S. ADELHEIDIS IMPERATRICIS OTTONIS I. IMPERATORIS
CONIVGIS, QVAE CVM MARITO PRAECI-
PVA FVNDATRIX MONASTERII
nostri exstitit.

Ex ms. codice Biblioth. nostra Heremitana.



N huius igitur aetatis nostrae temporibus cuncta disponens, totius honoris, & honestatis largitor Dominus, primo Ottone in sceptris feliciter agente, Romanae Reipublicae in saemineo sexu praestitit venerabile decus. Multorum etenim bonorum tunc accidentium, atque virtutum post DEVM auctrix, diuae, celebrisque memoriae Adalheida exstitit imperatrix. Quam cum memoriae succedentium scriptis commendare

fatagimus

fatagimus, timeo ne digne reprehendamus, ideo, quia tantæ nobilitatis atque virtutis materiem, minus idonei paupere stylo explicare conamur. Quisquis nos reprehenderit, ut pote reprehensione dignos, siue propter incultum sermonem, seu propter rem nouiter inceptam, & propter naturalis eloquij simplicitatem, sciat procul dubio, sciat, quia non invitauit nos ad hoc humanæ laudis appetitus, sed veræ, & sincerissimæ charitatis affectus. Si abhorre vis, ut quippe merito debes, lector, nostri ingenio rusticitatem, attende ipsius, quam commendare cœpimus, mentis, & corporis nobilitatem. Si enim expectare vis virum tanta eloquentia, vel sapientia præditum, qui huius femine possit conuenienter describere vitam, necesse est aut Cicero Rhetor reuocetur ab inferis, aut Hieronymus presbyter transmittatur ex superis. Si enim ille sanctus, & incomparabilis in diuina, & humana facer Hieronymus fuisset istius Augustæ temporibus, si Paulam, & Eustochium, Marcellam quoque, & Melaniam, Fabiolam quoque, & Blefillam, Latam, & Demetriadem septies percussam commendare curauit libris, & epistolis, commendaret utique istam haud voluminibus paucis. Si enim deest talis ut Hieronymus, aut aliquis alius, liberalibus disciplinis adeo eruditus, qui possit digne tantæ femine mores, & vitam describere adgrediamur nos indocti, *DEO* iuuante, pro posse.

*H*æc Regio, & religioso stemmate orta, cum adhuc iuencula esset, & sextum decimum ætatis suæ ageret annum, *DEO* donante, adæpta Regale matrimonium iuncta scilicet Regi Lothario Hugonis ditissimi regis Italici filio, ex cuius contubernio filiam habuit, ex qua Lotharius Rex Francorum Ludouigum Regem genuit, qui sine liberis mortuus, regio more, Compendio dignoscitur fuisse sepultus. Supradicto vero Lothario, ante annum circiter tertium, postquam dominam Adalheidam duxerat, defuncto, remansit ipsa viduata viro, destituta maritali consilio. Affuit ei persecutio mordax, quæ solet purgare electos velut aurum fornax.

Non er-

Non ergo accidit ei tale quid proprijs exigentibus meritis, sed, vt credimus, potius ex accidentibus diuinæ prouidentiae donis. Affuit ei, vt vere fatear, nutu diuino, exterius corporalis afflictio, ne intus cremaret eam, vt pote iuenculam incentiua carnis libido. Voluit enim eam Dominus tot verberibus atteri, ne secundum sententiam Apostoli Pauli, *uiuens esset vidua in delicijs mortua*. Voluit enim eam paterno affectu tot pati pericula, ne esset indigna illa filiatione diuina, de qua loquitur scriptura: *Castigat Dominus omnem filium quem recipit*. Sæpe etenim inde D E O gratias referebat, & cum familiaribus conferebat, quanta, & qualia tunc temporis passa fuerat, & quam misericorditer eam Dominus de manibus inimicorum suorum liberauerat. Iudicabat enim opportunius sibi fuisse, vt ad tempus temporalibus fuisset occupata anxietatibus, quam viuens in delicijs perpetuæ mortis esset subdita legibus.

Postquam enim mortuus esset Lotharius vir eius, honorem Italici regni adeptus est quidam vir nomine Berengarius, qui habebat vxorem nomine VVillam; à quibus innocens capta diuersis angustiata cruciatibus, capillis cæsariæ distractis, frequenter pugnis exagitata, & calcibus, vna tantum comite famula. Ad vltimum tetrus inclusa carceribus liberata diuinitus postmodum, ordinante D E O, Imperialibus est sublimata culminibus. In ipsa nocte qua educabatur de carcere, incidit in cuiusdam harundineti paludem, vbi per dies, & noctes sine cibo, & potu mansit perseverans, auxilium à D E O sibi subuenire deposcens. Tali cum esset detenta periculo, venit quidam subito piscator cum limbo, deferens in nauicula piscem, qui vocatur sturio. Quas cum vidisset, interrogauit, quæ essent, aut quid agerent ibi. Dederunt sibi responsum secundum instantem necessitatem satis congruum. *Videsne quod hic humano consilio destituta, & quod durius est solitudine periclitamur, & fame? Si potes, aliquid victus nobis impende; sin autem minus, solatium nobis prebe*. Qui misericordia motus super eas, sicut ipse, à quo mittebatur, fuerat quondam super pauperes in

deserto

deserto fame periclitantes Christus dixit eis, *Nihil nobis adest ad victus necessaria, nisi tantum piscis, & aqua.* Habebat ignem secum, sicut solent illi, qui piscationis exercent negotium. Accensus est ignis, præparatus est piscis, sumpsit cibum Regina, seruiuit piscator, & famula. Dum hæc ita agerentur, superuenit quidam clericus, qui eius fuerat captiuitatis, & fugæ socius, nuncians adesse exercitum militum armatorum, qui eam cum gaudio accipientes deduxerunt secum in quoddam inexpugnabile castrum.

Postea enim consultu Italicorum Principum, præueniente DEI gratia, de solio regni peruenit ad arcem Imperij. Hæc enim Augustarum omnium Augustissima nominari, & venerari est digna. Nemo ante illam ita auxit Rempublicam, ceruicosam Germaniam, ac fecundam Italiam, hæc cum suis Principibus, Romanis subdidit arcibus. Ottomem Regem nobilem Romæ præfecit Cæsarem, ex quo genuit filium imperio dignissimum. De nobilitate carnis factis dicta sufficiant. Nobilitatem verò mentis quo modo, vel qualiter excreuit, nemo mortalium dicere sufficit. Sed vt pro modulo compendio se loquar,

*Speq, fide certa, gemina caritate referta,
Iusta satis, fortis, prudens, nimiumque modesta
Exiit, & vixit felix, dum secula rexit,
Auxilio Domini moderantis climata cosmi.*

Prolata tamen Salomonis sapientis famina, huic sanctissimæ conueniunt femina. *Manus suas, inquit, aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis. Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus, & purpura vestimentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terra. Fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo. Os suum aperuit sapientia, & lex clementia in lingua eius. Considerat semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam. Multa filia con-*

gregare-

gregauerunt diuitias tu supergressas vnuerfas. Hæc enim quæ de ea dicimus, non modo auditu, sed & visu, & experimento cognouimus. Multa ab ea salutis verba audiui-
 mus, plurima dona suscepimus. Sæpe enim indigentes nummo, fecit esse diuites auro, carentes enim aliquando cottidianis sumptibus, fecit esse claros honoribus. Hæc enim ad decorem mundi, primi, & maximi Ottonis, toto orbe famosissima coniunx, & ad profectum multorum Imperatorum genitrix illa meruit benedictione potiri, quam meruisse legimus Tobiam in eiusdem patris volumine perfrui, videlicet, vt videret filios filiorum vsque in tertiam generationem.

Postquam enim Augustissimus Otto vniuersæ carnis ingressus est viam, Augusta cum filio Romani Imperij, feliciter diu gubernauit Monarchiam. Sed postquam, diuino nutu, ipsius Augustæ meritis, & industria solidatum fuerat Romani principatus imperium non defuerunt viri iniqui, qui inter eos nisi sunt disseminare discordiam. Quorum deceptus adulatione recessit corde Cæsar à matre. Si commendarem litteris, quanta, & qualia tunc passa sit temporis, derogare videremur speciem tanti generis. Non enim debemus perstringere stylo, quod cito sedauit humilis satisfactio. Filium diligens, auctores discordiæ ferre non valens, secundum Apostoli præceptum, dans ad modicum iræ locum, paternum decreuit expetere regnum, vbi à fratre, scilicet, Rege Chonrado, & nobilissima Mathilde eius coniuge benigne, & honorabiliter est suscepta.

Tristabatur de absentia eius Germania, lætabatur in aduentu eius tota Burgundia, exultabat Lugdunum quondam Philosophiæ mater, & nutrix, nec non & Vienna nobilis sedes regia. Postmodum vero Cæsar Otto ductus pœnitentia, direxit regi auunculo legationem, & sanctæ recollectionis patri Maiolo sub celeberrima festinatione, obnixius deprecans, vt gratiam matris, quam, proprijs exigentibus culpis, perdiderat, eorum interuentionibus promereri posset, orans iterum, & obsecrans, vt quantocius possent,

vna cum Augusta matre Papiam ei studerēt occurrere. Tan-
torum enim virorum vfa consilio, apud Papiam tempore
constituto occurrit mater filio. Quo cum mutuo se cerne-
rent, flendo, & lachrimando, toto corpore solo prostrati, hu-
militer se salutare cæperunt. Affuit in filio humilis pœnitudo;
erat in matre liberalis remissio; permanfit in vtrisque
de cetero perpetuæ pacis connexio.

Non post multum vero temporis vnico orbata est filio,
cui successit tertius ex Græca genitus Otto. Igitur recidiuis
diu afflicta verberibus, non possumus enarrare per singula,
quot, qualiaq; post mortem filij sibi successerunt incōmoda.

Licet illa Imperatrix Græca, sibi, & alijs fuisset satis utilis,
& optima, socru tamen Augustæ fuit ex parte contraria.
Ad postremum vero cuiusdam Græci, aliorumq; adulantium
consilio fruens, minabatur ei quasi manu designando di-
cens, si annum integrum supervixero, non dominabitur
Adelheida in toto mundo, quin possit circumdari palmo v-
no. Quam sententiam inconsulte prolatam diuina censura
fecit esse veracem. Ante quatuor hebdomadas Græca Im-
peratrix ab luce discessit. Augusta Adalheida superstes, fe-
lixque remansit.

Perseuerabat autem discrimina mundi lugens, & deflens,
curam tamen Romani Imperij necessario gerens. Otto ve-
ro tertius vnici sui filius à primatibus regni felicissime, & ho-
nestissime educatus, nihil erga illam egit, nisi quod illum, &
illam decuit. Idcirco meritis auix, & industria Prima-
tum Romani Imperij adeptus est principatum.

Ab ipsa enim ætate primæua iam dicta Imperatrix multa
ab extraneis, siue à domesticis fuerat perpessa, vt possit dicere
cum Propheta: *Sape expugnauerunt me à iuuentute mea, &*
ceter. Dicebat enim sæpe illud Apostolicum: *Existimo enim*
quod nō sunt condignæ passiones huius tēporis ad superuenturā
gloriā, quæ reuelabitur in nobis. Et alio loco, *Si cōpatimur, &*
cōregnabimus. Et iterū, *si fuerimus socij passionū erimus & con-*
solationis. Multis bonum pro malo reddidit, & secundū Apo-
stoli præceptū peccantibus in se ante solis occasum dimisit.

Nihil ex obiectis iniurijs sibi referuabat, sed totum Domino committebat; sciens esse à Domino dictum per Prophetam; *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Parcite, quæso, quibus pepercit, & dicamus pro tempore quibus in aduersitatibus, quibusue studijs in prosperitatibus seruire contendit. Quot enim in primis cum Cæsare, inde cum filio, & filij filio, Ottonum, videlicet, & Augustorum, & Cæsarium, DEO annuente, possederat regna, tot ex proprijs sumptibus ad honorem Regis Regum condidit monasteria. In patris vero Rudolphi, videlicet, & nobilissimi regis, & Domini Chonradi fratris regni loco videlicet Paterniaco, vbi matrem reginam vocabulo Bertham DEO in omni humilitate deuotam, sepulturæ tradidit, in honorem DEI genitricis monasterium condidit, & sanctissimo Patri Maiolo, suisque successoribus, sua munificentia, & fratris sui Chonradi regis præcepto ordinandum perpetuo commisit. Postmodum in Italia iuxta Ticinensem urbem monasterium à fundamentis incæpit, & ad honorem Saluatoris mundi honorifice, imperiali auctoritate, & sua largissima donatione perfecit, ac iam dicto Maiolo ordinandum regulariter tradidit. In Saxonia vero post discessum iam dicti Reipublicæ Principis, cooperante vnica, & sapientissima, & prudentissima filia sanctimonialium cænobijs plurima contulit dona.

Ante duodecimum circiter annum obitus sui, in loco, qui dicitur Salsa, urbem decreuit fieri sub libertate Romana, quem affectum postea ad perfectum perduxit effectum.

In ipso enim loco Monasterium à fundamentis miro opere condidit, & ad honorem DEI, & Apostolorum Principis, tertio imperante Ottone, videlicet, nepote suo, in præsentiarum secum astante, quarta decima Kalendas Decembris augustissime, & deuotissime à VVilderaldo Argentinae ciuitatis Episcopo consecrare iussit. Et vt maiori auctoritate per succedentium temporum curricula esset ille sacer locus subnixus, cum præfato Cæsare est etiam

Episcoporum conuentus à sæpe dicta, & sæpe dicenda Adalheida Augusta ipsius Cæsaris auia conuocatus. In ipso etiam Monasterio clastrum monachis satis aptum præparauit, & secundum regulam S. Benedicti ordinare decreuit. Abbatem ibi præfecit nomine Ezzemannum, boni testimonij virum, humana scientia, & diuina sapientia doctum, quem in diuinis litteris habere voluit assidue præceptorem. Ipsum vero locum adeo ditauit, & nobilitauit prædijs, ædificijs, auro, & gemmis, vestibus preciosissimis, alijsque varijs ornatuum supelletilibus, vt nihil deesset illo in loco DEO famulantibus. Quatuor quos supervixerat annos Creatori suo sua, seque dando, pauperes Christi, & seruos sibi acquisiuit amicos, vt non temporalia deficerent in æterna tabernacula eam suscipere.

Cum igitur summis Reipubl. fascibus implicata teneatur, varijs miserorum, & inopum anxietatibus subsidia præbere non dedignabatur. Cumque mirificis, vt imperiali dignitati congruebat, valeret corpus decorare indumentis, & preciosissimis caput redimire gemmis, talibus nolebat se implicamentis grauare, sed aut pauperibus largienda decernebat, aut Dominicæ crucis vexilla, & Christi Evangelia exinde adornari præparabat, sedula existens imitatrix sui Redemptoris, qui cum esset omnium altissimus, humanitatis abiecta non est dedignatus. Innumeris præterea tam Canonicorum, quàm etiã Monachorum, & sanctimonialium Cœnobijs circumquaq; per diuersas orbis partes constitutis, plurima largiebatur beneficia, quatenus DEO famulantium agmina eius munifica daptilitate recreata, liberius sibi, Reipublicæ diuinitus conferenda implorarēt suffragia. In cunctis enim quæ gessit, Iustitiæ formam tenuit, cõmunem liberalitatem seruauit, credens procul dubio eum Iudicem futurum, quem & occulta nõ fallant, & indecora offendant, & honesta delectent. Quapropter Iustitia videbatur excelsa liberalitate gratissima, beneficentię opera locans super Christum, quem beatus Apostolus ponit fundamentũ, intelligens prudẽter fidem esse fundamentũ omniũ virtutum.

Vfact

Vsa est ergo perfecta liberalitate, vt silentio, quantum vale-
ret, opus suum tegere, & necessitatibus singulorum cuperet
subuenire, quatenus cum non labia sua, sed Christi paupe-
rum laudarent ora, vt & iam in ea impletum videretur,
quod beati Iob voce profertur: *Benedictio perituri in me
veniebat.* Diligenti illud consideratione perpendere stu-
debat iuxta ipsius vatis assertionem vt ab eius tecto nun-
quam vacuo sinu pauper exiret, vt talibus intenta commer-
cijs acquirere valeret in terra viuentium, hæreditatem su-
pernæ sortis.

Iam, iamque vltimo ætatis anno cum non lateret eam,
vt credo, exituram de seculo pacis vt semper, amica, cha-
ritatisque causa paternum adiit solum, fidelibus nepotis sui
Rudolphi Regis inter sese litigantibus, quibus potuit, pacis
fædera contulit, quibus non potuit, more solito sibi, D E O
totum commisit. De cetero quàm studiose, quàm deuotissi-
me loca Sanctorum curauit visitare non est nostræ facultatis
euoluere. In ipso namque tempore Monasterium Paternia-
cum adiit, quod ab ipsa ad honorem D E I Genetricis pro re-
medio animæ suæ matris ibi quiescentis tam ex suis, quàm
maternis rebus condidit. Et quod tunc temporis in tempo-
rali necessitate fratribus ibi D E O famulantibus defuit, vt
semper erat solita, manu largissima subministravit.

Accidit tunc aliquid nouum, quod huic operi iudicauim-
us inferendum. Fatigata ex itinere non potuit manu pro-
pria solito more cleemosinam dare pauperibus, & vocauit
vnum de fratribus, qui vice sua nummos daret pauperibus.
Ex eius iussu ventum est ad pauperes. Excedit numerus pau-
perum numerum denariorum. Timuit minister minus ha-
bere, quam indigentibus posset sufficere. Quid multa? af-
fuit Augustæ meritis virtus illius, qui

*Panibus ex quinis satiauit millia plebis,
Multiplicatis denariis recesserunt pauperes cum mu-
nere lati.*

Egressa inde locum Augaunensium petijt, vbi rupes felicissima martyrum millia retinet corpora. Quanta cum deuotione, & cum reuerentia magni martyris Mauritij, sociorumque eius expostulauit suffragia? Quot eius ibi fuerunt suspiria, quot luctus, lachrymarum flumina? numquam, vt reor, fuerunt vlla peccamina, quæ tunc non mererentur æterna remedia. Si enim respiceres Augustæ faciem excedere crederes humanam effigiem, quam si aliquid aliud labijs promeret, nihil aliud crederes, quam, propheticum illud euoluere: *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Quæ fuit eius maxima tribulatio pro cunctis à lege DEI declinantibus charitatiua comparsio, vt posset dicere cum Propheta: *Defectio tenuit me pro peccatoribus.* Et cum Paulo: *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Et cetera: Ita deplorabat aliorum peccata, qualiter multi non possunt propria deplorare discrimina. Lætabatur in grauitate, & profectibus præteritorum, tristabatur cottidie in defectibus præsentium, maximeque futurorum. Cum enim de futuris dico, prophetiæ spiritum procul dubio eam habuisse denuntio. Id esset enim in sermone defectus, nisi essem publico documento expertus.

Cum enim esset ab illo sacro loco egressura, & secum staret in angulo Ecclesiæ orationis gratia, quidam nuntius venit ad eam ex Italia Franconem VVangionensem Episcopum nunciauit Romæ fuisse defunctum. Et quia vir boni testimonij erat domina Augusta valde eum diligebat, sicut & omnes bonos diligere solita erat. Et statim vt eius obitum audiuit, ex familiaribus, qui aderant, vnum vocauit, & vt pro domino preces effunderet humiliter rogauit: & quasi in excessu mentis ita exorsa est dicens. *Quid faciam, Domine, vel quid dicam de illo seniore nostro, & nepote meo? Peribunt, vt credo, in Italia multi cum eo, peribit post ipsos, vt timeo, heu misera, Augusta indolis Otto, remanebo omni humano destituta solatio.* *Absit, ô Domine*

Rex seculorum, ut videam superstes tam lugubre dispendium. Tunc videres Augustam toto corpore solo prostratam non minus eam toto mentis adnifu cælo intentam, & quasi iam martyris Mauritij vestigia invenisse, ac lymphatico ore perlingere. Post paululum vero ab oratione surrexit, munera martyribus, eleemosinam dedit pauperibus.

Dehinc Geneuensium abijt urbem, desiderans videre victoriosissimi Victoris martyris aulam. Inde Lausoniam venit, ibique memoriam DEI Genetricis deuotissime adorauit. Quibus in locis à Rege, & Episcopis, suis videlicet nepotibus, honorabiliter suscepta deuenit in vicum qui vocatur Vrba. In ipso enim vico aliquandiu demorata, egenis supervenientibus, & miseris, quotquot potuit suppeditauit necessaria: cum Rege, & Principibus patriæ pacis, & honestatis conferens negotia, inde etiam sacris locis diuersa, & varia direxit donaria. Quæ enim Ecclesia, quæ Monachorum coenobia, sibi affinitate, vel vicinitate coniuncta, quæ non mererentur habere eius dona, vel xenia? Et vt parua de multis dicam, ipso tempore, quo instabat sibi dies supremus beatissimum Patrem Benedictum, exiguis, tamen proprijs visitauit muneribus. Nec non & beatæ recordationis Patrem Maiolum, cælesti gloria iam coronatum, quem dum in hac vita subsisteret præ cunctis mortalibus illo ex ordine diligebat. Non enim oblita Cluniacum adeo sibi familiare coenobium. Ad restaurandum igitur beatissimi Confessoris Christi Martini monasterium, quod non multo ante fuerat igne combustum destinauit transmitters non modicum argentum, & ad honorem altaris partem vnici filij sui Ottonis Augusti chlamidis. Vtenim ad memoriam reducamus eius dulcissima verba ad eum cuius officio mittebatur ait inter cætera. *Obsecro charissime, obsecro, ut ita alloquaris sanctissimum Confessorem meo obsequio: Accipe sacerdos DEI parua munuscula qua tibi delegauit Adalheida seruorum DEI ancilla, ex se peccatrix, dono DEI im-*

peratrix. Accipe vnici mei Ottonis Augusti chlamydis partem, & ora pro eo ad ipsum quem veste diuisa vestisti in paupere Christum.

In illo die, in quo supradicto loco erat exitura, vna, eademque hora nobis peccatoribus astantibus, & exemplum perfectæ humilitatis reliquit, & prophetiæ spiritum non arroganter, sed humiliter se habere ostendit. Erat quidam ibi in præsentia ipsius monachus, qui licet esset indignus Abbas vocari, ab ea tamen putabatur alicuius momenti. Quem cum inspiceret, & ipse eam esset intuitus, cepit vterque flere vberius. Dicam eam tunc plus fecisse, quam si dicam multos sanasse infirmos. Vestem enim satis inculam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, & sanctissimis oculis, & serenissimæ suæ faciei osculando impressit, eique familiariter & cum silentio dixit: *Memento mei filij in contemplatiuis, & scias me non amplius te visuram corporalibus oculis. Cum enim humanis rebus excessero, orationibus fratrum animam meam committo.* Inde per iter, quo venerat, peruenit ad locum vbi, DEO ordinante, decreuerat sibi parari sepulchrum.

In ipso igitur vltimo sui temporalis cursus itinere, erigebat se in quantum valuit, super se, vt diuinæ contemplationi, spreto secularium turbine, libere posset insistere. Familiaris rei negotium erat sibi etiam importunum. Transgerat iam strenue Liæ, & Marthæ satis laudabilem actum, optabat appetere Rachelis, & Mariæ desiderabile otium. Itaque lectionibus intenta, assidua orationibus, respuebat terrena, inhians tota mente cælestibus. Et si aliquis eam de secularibus negotijs interpellaret, non ad hoc responsum dabat, sed Apostolicum illud lugens in corde volebat: *Misera ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et secunda de spe diuinæ retributionis aiebat: *Gratia DEI per IESUM Christum.* Deinde cælesti edocta magisterio deuenit ad locum vbi vltimum spiritum erat redditura DEO.

Instabat

Instabat enim dies in qua deuotio annua agebatur pro filij sui Ottonis Augusti memoria. Confluxerant ad eam ex adiacentibus locis, vt semper faciebant, pauperum plebes. Erat ei consuetudo talis, vt in amicorum, & familiarium suorum anniversarijs spirituale donatium suis spiritualibus erogaret militibus, eleemosynam dico, Christi pauperibus. Erat autem indigentibus multitudo ordinatim in loca constituta, ad quos ipsa venit, & exemplo Abrahæ Patriarchæ DEVM inter illos esse non dubitans, humiliter adorauit, & oblita infirmitatis suæ, super vires suas tentauit aggredi, singulis manu propria tribuit, & quos miserabiliores vidit vestimenta, vel alia munuscula dedit. Finito isto spirituali negotio, à quodam venerabili Archiepiscopo Missas petit celebrari pro filio. In ipsa enim nocte à febre corripitur, & per aliquot dies, ingrauescente mole infirmitatis, ad extremum vsque deducitur. Adhuc autem pro posse erat intenta in oratione, & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere. Resumptis aliquantulum viribus corporis, muniri se rogauit attentius mysterijs Ecclesiasticis. Tum sacri olei vntione pervncta sacramentum Dominici Corporis humiliter, & deuotissime adorando percepit, in quem semper sperauit, & credidit. Talibus sultra præsidijs, talique pasta conuiuio, dixit senioribus qui astabant, & Clero, vt Psalmos pœnitentiales cantarent, & nomina Sanctorum, more Ecclesiastico, recitarent. Quo factò, cum psallentibus spallebat, cum orantibus orabat, vsque ad illum locum, vbi DEVM sibi adesse precabatur propitium. Erat enim sciens cum sorore Moyse tenere tympanum, & chorum: cum Dauidе chordas, & organum. Sed assumptis cymbalis benefonantibus sequentibus agnum tota iam versabatur in iubilum.

Anno igitur instante ab incarnatione Domini millesimo desiderans videre vnum nescientem occasum in atrijs Domini super millia dicebat sæpe cum Apostolo. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Præstolans etiam in præsentibus

arum

arum cum spirituali lætitia eiusdem Domini nostri IESU Natiuitatis festum cum sextum decimum diem solueret December felix, & ipsa feliciter, deposito carnis onere, euolauit ad purum purissimi ætheris fulgorem. Erat enim ei cum domesticis grauis iucunditas, cum extraneis honestissima grauitas, in pauperibus vero infatigabilis pietas, in honorandis Ecclesijs DEI affluentissima largitas, erga bonos perseuerans benignitas, contra impios liberalis seueritas, in appetendis timor, in prosperitatibus vera humilitas, in aduersitatibus patiens longanimitas, in victu cottidiano sobrietas, in vestitu etiam mediocritas, in lectionibus, & orationibus, & in vigilijs, & ieiunijs assiduitas, in dandis elemosynis vna, eademque voluntas. Nulla eam de nobilitate carnis præpediebat elatio, nulla ex potestate sibi à DEO concessa ad se trahere poterat humanæ laudis cupido, nulla de excessibus proprijs maleuada ei dominabatur desperatio, nulla de honoribus, delicijs, & diuitijs mundi in eam principabatur ambitio, sed comitabatur eam in omnibus omnium virtutum mater discretio. Eratque ei in fide securitas firmitas, in spe firma securitas. Sed, vt vere fatear, quæ, & quanta, & qualis fuerit eius vita, clarescentibus ad sepulcrum eius miraculorum prodigijs, virtus patefecit diuina.

Quia superiori stilo euidenter patet, quanta sedulitate beatam Martham hæc DEI ancilla imitaretur, oportet etiam aliqua supernæ speculationis iudicia proferre, quibus sororem eius Mariam perfectius assecutam possimus conijcere. Insuper facili intelligentia capere valemus, qualiter ipsa corpus suum, iuxta Apostoli præceptum, castum, & pudicum seruando templum DEO promeruerit pleniter effici. Nam cum per omne vitæ tempus regalibus diuitijs, & dignis suo generi facultatibus abundaret, carnem à primæuo viduitatis tempore cilicio edomans, atque mundanæ gloriæ culmen mentis despectu conculcans, Christo soli, videlicet, & Iustitiæ per cælestis contemplationis desiderium in tantum altare cognoscitur, vt cum suaui voce psal-

mistæ concordaret, qui bonum suum non regni delicijs frui,
sed DEO inhærere conclusit.

Quadam vero die cum ad refectionem corporis cum honorabili frequentia tam Clericorum, quam Laicorum confederet, iamque purissimæ epulæ necessitati omnium satisfacerent, uti mos est sanctarum mentium, pro declinando favore, alia foris ostendere, & alia intus agere, ipsa simulata intentione edentis, cultrum manu diutius tenuit, sicque non ad suam voluptatem, sed ad aliorum voluntatem conuiuium protraxit. Tunc subito faciei colore cum mentis habitu permutato, ferrum de manu super mensam decidit; atque in hoc non insolentiæ notam accidisse, sed mira quædam per diuinam reuelationem sensisse cum suspirio innotuit. Omni vero turba, quid hoc protenderet, admirante, nec quærere præsumente, illa ad Euangelicæ perfectionis decorem cælatiuit multitudini secreti dignitatem, solumque Augustensem Episcopum nomine Dudonem sibi pro vitæ meritis familiarem, iugique obsequio in hærentem, tali dignata est præfatione. Nunc pater venerabilis multa opus est vobis consolatione, vestræ occidentalis matrinæ Ecclesiæ lapsus est, diuina dispositione. Tanta vero iactura non magis vestræ prudentiæ sollicitudinem ad restaurationem sui ingerit, quam pro vestra vexatione, siue communi damno Ecclesiæ vestræ menti mœroris nebulam intulit. Sed simul consolari vos in diuinitatis tranquillitate iubeo, & persuadeo, quæ sine mutabilitatis vicissitudine solus inaccessibile lumen inhabitans omnia quodammodo moueri pro nostro reatu permittit; sed plena ad integritatis statum ineffabili sua clementia reducet. Præsul vero tam præfatio, quam rerum damno perturbatus tempus præfate ruinæ diligenter notauit, nunciumque pro experienda ratione, rei que veritate Augustam festinanter direxit, cuius relatione casum contigisse, & horam conuenisse iuxta DEI formulæ præfationem cognouit.

Alio quoque tempore huic præfatio simile prodigium

ab ipsa

ab ipsa patuit, quod tanto magis admiratione dignum extitit, quanto & loco, & tempore rei euentu fuerat diuersum. Filius namque illius Romanæ reipub. Princeps electus dum illam Græcam in thalami consortium suscepisset, eius prauo ingenio & deteriori consilio deceptus regnum Græcorum conatus est adipisci. Igitur exercitu ex omni copia ac conatu collecto fines Italiæ excessit, atque ita Regi Græcorum patrandi belli occasionem dedit, sibi vero, suisque famæ, ac vitæ contulit amissionem. Interim pia mater eius die, nocteq; diuinis cultibus insistens felicis Annæ viduæ deuotionem procul dubio impleuit & iuxta Canonicâ regulâ omni diligentia exhibuit viduitatis obsequia. Quadâ vero die orationis studio pro vnici filij salutet, otiusq; regni statu obnixius intenta, dum se viuam hostiâ, more solito, stans ante Crucifixum Deo mactaret, rapta in extasi humanis visibus æstimabatur præmorta. Ad se autem post horam reuersa, quid viderit memori mente tenebat, fatumque præfatæ pugnæ in spiritali sibi visu præmonstratum, non rem dicendo, sed bonorum cædem condolendo innotuit. Ex his quidem signis patenter potest colligi, quali puritate animi fulgeret, imo quanta libertate spiritus Christo seruiret occultius, cui cum Prophetis futura Dominus reuelauit, cum Patriarchis fidem roborauit, cum Apostolis Euangelij perfectionem edocuit, cum Martyribus tribulationum tolerantiam tribuit, cum Sacerdotibus Ecclesiæ curam indidit, cum Virginibus sacris sanctissimæ mentis sinceritatem auxit, familiarem sui præsentiam cum Monachis ostendit, & cum Apostolicis discipulis, dico viduis, à Petro, & Paulo electis, & religionis officio deputatis in terris deuotione prædicauit, in æterna gloria sublimauit. Curationum vero in tantam gratiam per beneuolentiæ meruit opera, vt sicut egenorum inopiam eleemosynarum largitate subleuauit, ita etiam infirmorum, & debiliū sospitatem potenti munere restauraret. Sed mirum in modum humanam cognitionem vitandæ insolentiæ causa fugiens, tantique muneri largitori secreto mentis pla-

cere gesti-

cere gestiens, aut omni modo furtiua celeritate signorum efficaciam rapuit, aut si qua suorum scientiam praterire non potuit, ne vsquam leui fermocinatione dilatarent, illam nimirum sententiam gentium Doctore vigili sub corde voluens: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiae nostræ. Et quod ipse Dominus dextræ opus à sinistra celari præcepit, simplici prudentia, in omni conuersatione adimpleuit. Tamen vrbs super montem posita haud potuit esse in omnibus occultata. Vnius namque signi flagrantia ad nostram peruenit notitiam, cuius patranda potentiam plurimarum virtutum docemur existere causam.

Quodam vero tempore cum cælesti meditatione occupata in conclauis sederet, omnisque arbiter, excepto claudo abesset, villicus nomine Huozemannus fide, & taciturnitate illi acceptus pulchrorum malorum attulit munus. Quod serenissimo vultu, vt hilaritatis amica fuit, accipiens, vnum ex multis excepit, ceteros seruatori huiusmodi rerum præsentari præcepit. Sed casu accidente pomum à manu longius prolapsum est, quod statim claudus reportare iussus obsequium renuebat, quia scabella, quibus ingressum simulabat, domina retinebat. Illo vero reluctante, rationemque debilitatis rationabiliter pro inobedientia reddente, tandem sanctorum domestica ante venerabiles reliquias quas in conspectu suo iugiter positas adorare solebat, caput reuerenter inclinavit, suosque dominos secum velle, vt claudus ambularet, affirmavit.

*Mox citius dicto surrexit claudus ab imo,
Parens obsequio, fit sanus corpore toto,
Et iussus tanti retinere silentia signi
Gaudia prodebat, nec gratia tanta latebat.*

Igitur eo tempore, quo migravit beata à seculo Herimannus Dux Sueuiæ, qui patris illius Chonradi filiam in coniugium acceperat, hæreditario iure res ancillæ DEI ad monasterium pertinentes occupare volebat. Sed ipsa illi

& cunctis in circuitu degentibus manifestis indicijs comprobatur, quod nullum hæredem præter Apostolos, & eis feruientes monachos relinquebat. Erat tunc temporis forte apud eundem Ducem quidam recenter visu priuatus, qui olim arte flebotomandi edoctus, & ea causa beatæ reginæ gratia largius est usus. Quia vero illius beneficentiæ nimietatem, sanctitatisque claritatem experimentis didicerat orandi studio ad sepulchrum eius veniens in adiutorium suum precibus, & fletibus eam invitauerat. Cumque per omnem septimanam sacri corporis locum obsecrationis instantia frequentaret, vna vice fessus, & tristis super pavementum residens, præ tædio languentis animæ perusus est somni humore.

Tum illi S. Adelheidis per somnium admodum reuerendo vultu, vltra humanam speciem decora, manifesta apparuit. Quare dominus eius Herimannus priuatas res Apostolorum suæ iniustæ ditioni vsurparet, terribili voce quæsiuit. Illo autem ignorantiam confitente, vel potius tyrannidem Ducis adnectente, Vide, inquit, vt si nostris meritis sanitatem oculorum recipias, nostræ etiam legationis fidus interpres Principem adeas, planoque sermone huiusmodi prauitatem omnino deponere cum signo edoceas, sin aliter, me, meosque dominos bis senos Apostolos, totius scilicet iudices orbis, proprium ius persequi sciat, vltionisque inuitabili ictu sese, cum suis flagellandum prædicat. Cum his dictis statim evigilans homo visionis, & allocutionis memoria lætificatus, pedes recedentis vsque ad sepulchrum est profecutus, vbi toto corpore prostratus tam diu orationi deditus iacuit, quousque chorus monachorum Missæ officia celebravit. Vt vero primum cantor Introitum inchoauit, cæcus lumen recepit, atque gaudia sua cantantibus commiscuit. Confestim miraculo per sonitum campanarum intimato ab omni populo concurrunt, Dⁿⁱ famula veneratur, lucisque repertor, immo facturæ reformator ab omni sexu, & conditione conlaudatur. Post hæc luminis adeptor testimonij, legationisque iniunctæ non immemor, Dominum

suum

suum gratulanti cursu reuifit, quid in somno præmonitus esset explicuit, sui que inluminationem testatur diuini examinis esse argumentum, si ipse, aut aliquis potentum, siue qualibet persona ulterius in Ecclesiastica beneficia gloriosæ in Domino femina præsumeret damnum inferre. Itaque Dux timore percussus quidquid iniusto incepto contra DEI voluntatem in DEI famula rebus desipuit, emendare curauit, addiditque prædicto monasterio prædium ad conficiendum fat utile situm videlicet ad oppidum Marfile.

Dignum vero relatione nobis videtur quomodo Henricus Rex, Georgij Martyris singularis cultor, huius sanctissimæ etiam viduæ supplex fieret adorator. Nam cum ad præfatum locum adeptus imperio venisset, forte contigit ut ibi posito lecto pausaret, ubi sanctissima anima carnis ergastulo soluta est. Itaque Imperator tantæ infirmitatis mole percussus est, ut lecto surgere non valens suorum diuersa ingenia conquireret, quid de tanti, tamque subiti doloris casu sentirent. Omnes quidem vna voce dicebant, illius sacri loci reuerentiam talis incommodi causam. Hæc ipse secum diu volutans, & si quo alio modo venerandam Augustam offenderet retractans, & pœnitentia ductus, ad sepulchri facellum se portari iussit. Et quia illius merita sine Apostolici decreto, Clerique consensu celebrari non licuit, prædicto in loco beatæ MARIE oratorium se constructurum promisit, atque Abbatem illius cœnobij, sicut ipsa constituit, ab Imperatoria seruitute absoluit.

Sub idem tempus venit ad eundem locum quidam eques temerarius, qui dum pauperis cuiusdam bene receptus hospitio esset, paruam eius suppellectilem diaboli instinctu male tractare aggressus est. Inter alias quidem iniurias, quas hospiti suo ingessit, aues domesticas occidit, alienaque substantia fecit sibi parati cibaria. Magister vero domus in preces, fletusque, cum vxore profusus rogauit inprimis hominem parcere sibi per Ab-

Abbatem Dominum suum, postremo per sanctæ Adalheidis reuerentiam implorauit deponere tantam proteruiam. Ille procacitatis incepto perdurans, immo maiora mala accumulans, Ego inquit, viuis in hac nocte tui, tuorumque dominor, Adalheida vero mortua impotens est tibi præstare tutamina. Nec mora pro tanta calumnia superne flagellatus, dum male partum cibum festinaret sumere, cæpit etiam manus, & cetera membra mandere. Statim pro sui impotentia, & furoris noxa ligatus per eiusdem noctis spacium mentis, & corporis durum pertulit vinculum. Sed cum prima luce trahentium manibus ad sepulchrum Christi famulæ invitè adductus sanitatem sensuum in fratrum præsentia recepit, quia illa pijsima offensionem, quam vindicabat potenter, postmodum pœnituro indulsit liberaliter.

Quædam sanctimonialis femina vocabulo Eruovvela, cum à prima ætate claudicaret utroque pede, in proximo anno memorabilis transitus Augustæ fera latificata est salute. Et quia huius virtutis opinio populares aures attigerat prima, totius plebis conuentus effectus est admodum lætus, anusque ipsius manibus Crucem, & cereum imponens per diuersas discurrendo Ecclesias laudes celebravit deificas.

Nec hoc taciturnitate prætereundum esse videtur, quod ob illius dilatanda merita cuidam ignoto homini contigisse dignoscitur. Qui dum per siluam iter haberet, quæ rustico vocabulo nuncupatur Bivvald, forte ab equo iuxta pascente vsque ad oppidum Salsense comitatus est. Quam ob rem apud quemdam potentem nomine Hermo-nem furti accusatus est, qui eodem tempore cum prædicto imperatore Heinrico illuc venerat. Ille de incertis certam sententiam proferens, iussit hominem miseris modis flagellari, spoliari, excæcari. Mox aduena cæcatus, leuans ad cælum mentem, & manus, Si ego, ait, furti, dolique innocens immerito tanta mala perpessus sum, tu sancta Adal-

heida

heida redde mihi tuis precibus, & meritis visum. Posthæc cuiusdam viri Bennonis nomine domo, & cura receptus, post paucos dies lenito dolore ad preciosi thesauri thecam accessit, testificansque sui innocentiam, oculorum sanitatem recepit. Idem tamen medietate oculorum pupillæ diuisa, vera cæcitatibus postmodum ostendit vestigia.

Inter cetera vero donaria, quæ S. Petro contulit hæc sanctorum domestica, existerat quædam familia pagi Northgovve nuncupati accola. Quam dum quidam proterua præsumptione sibi, suisque posteris mancipare tentaret, nulloque pacto repugnantem edomare sufficeret, vnum istiusmodi generis Penzonem dictum incautius excæcavit apprehensum. Quem post aliquantos dies quidam videre resciscens, denuò captiuans tandem altius omnem eruit visum. Nec mora cæcus cruento, miserandoque vultu turpatus, adhuc crudo vulnere monachos adiit, Domine suæ venerabile sepulchrum petijt, rituque rusticæ simplicitatis exprobrare cœpit illi causam tantæ calamitatis. Ergo non ante à fletu, & planctu eam incusando cessauit, quam integritatem pupillarum cum lucidissimo oculorum officio, quod non inuisitatum, sed potius rarum à sanctis scimus, recepit.

Venit etiam de territorio Mettensi quædam femina, cui diuino nutu cæcitatibus increuit calumnia. Hæc cum per diuersa loca adipiscendæ salutis appetitu discurreret, istius sanctæ quærere subsidia per somnia admonita est ab ipsa. Dum autem solam oculorum appeteret salutem, gratiam adepta est duplicem. Nam eodem tempore contigit Chunradum Romani Imperij gloriosum Principem cum thori, regnique consorte Gisila aduenisse. Cumque venerabilis regina mulierem illuminatam in præsentiarum cerneret, DE VM bonorum auctorem dignis laudibus magnificans sibi, & consanguinæ Augustæ sanctitati congratulans, personam à beatitudine eius lumine visitatam in suæ liberalitatis suscepit curam.

Fuit etiam in partibus Gallia potens Comitissa muti filij mater tristes effecta. Pro hac ergo causa, dum plura circuiret deuote monasteria, tanta virtutum opinione audita, sacrum locum desiderabiliter petijt, trium dierum spacio inibi orationibus operam dedit. Post hæc a dono curationis prolixitate temporis desperata cum ad propria redire dispo-neret, semetipsam cum puero ante altare prostrauit, quod ad caput viuifici corporis consecratum est. Mater vero la-
 chrimabili prece intenta se solam indignam, & expertem fa-
 tetur, spe lætam venisse, sed tristem redire narrat. Puer in-
 terim subita soporis quiete solutus est. Qui transacta ho-
 ra sponte sua euigilans lætus surrexit, matrem veste appre-
 hendit, si hoc sepulchrum sanctæ Adelheidæ esset prima vo-
 ce quæsiuit, quæ sibi in somno apparens linguæ vinculum
 resoluerit. Eodem modo matrona præ desperatione discessu-
 ra reliquum diei duxit illic in lætitia, & pro sospitate filij de-
 uota, & grata fratribus in sanctis suis D E V M collaudantibus
 obtulit munuscula.

Quidam homo de Burgundia progenitus ab utero ma-
 tris ita extitit claudus, & curuus, vt plantæ pedum ad nates,
 manus vero ad genua conglutinata viderentur. Quidam
 ab hoc infirmitatis incommodo per sancti Sulpicii meri-
 tum liberaretur, idem alia calumnia diuino nutu vexari per-
 missus est, vt dum huius pijsimæ, atque sanctissimæ feminae
 precibus curaretur, virtus præclarissimi confessoris æquare-
 tur. Contigit huiusmodi hominem apud præfati loci Ab-
 batem Gerbertum piæ memoriæ virum cum reliquorum
 egenorum turba degere, matutinisque laudibus in festiui-
 tate B. Petri Apostoli vano auditu interesse. Namque ma-
 lorum, & bonorum immemor, etiam temporis, & loci
 venerandi contemptor, cœpit cum viris, & feminis miscere
 verba turpitudinis, sicque cum stultorum conuentibus fe-
 cit impedimenta diuinæ laudis. Tum subito mira celeri-

tate vtra-

tate vtraque brachia strictim in terga resilierunt, ambæque manus eius tanta vi in se reflexæ sunt, vt disruptis digitorum nodulis astantes maderent aspergine sanguinis. Nec tamen minoris intus percussus est supplicio, vt pote arreptus dæmone pessimo, sicque duplici pœna devinctus, miserabili spectaculo totius populi mouit fletum, & planctus, sed dum chorus Monachorum DEI laudes per Missam celebraret, omnisque plebs mœstis modis S. Adelheidæ merita precibus prouocaret, tandem nodis brachiorum solutis adeptus est integritatem mentis, & corporis. Ipse tamen post aliquantos dies mutus effectus, ad sepulchrum eiusdem beatissimæ matris linguæ recepit vsus.

Temporibus vero III. Heinrichi Imperatoris vnus signi mitificus claruit eventus, per quem in sanctorum numero spiritalem potetiam illam verissima argumentatione agnouimus. Quidam vir nomine Burcardus in ministerio Lutipoldi Mogonciensis Archiepiscopi fideliter degens parentelæ suæ seruili conditione cedit dominio venerabilis Augustæ. Cuius vberissima benignitate donatum maioribus suis prædium hæreditario iure absque ambigualite possidebat, ideoque summa deuotione donatricem dominam omnimodis venerari solebat. Accidit autem, vt Dux Allemanorū Otto de Svinvorth, licet iustitiæ, aliarumq; virtutum quam plurima exempla sectaretur, tamen insatiatæ cupiditatis facibus accensus prædictum prædiolum suæ latissimæ possessionis forte contiguum more Achab, vel potius Izebelis propriæ ditioni iniuste vendicare est aggressus. Ergo homo talem iacturam agrorum violenter, non legaliter est perpetratus, dum humanum præsidium contra tantæ potentie culmen desperaret, recolens animo liberalis doni priuilegium ad donantis dominæ fideliter accessit patrocinium, chartulam quoque in præfatam possessionem conscriptam miserabili cultu afferens sacratæ tumbæ imposuit, commodo sonitu campanarum, querelosaque adclamatione dominam suam sibi dormientem excitare se, rustico more, asseruit,

fratrumque congregationem suum casum mi fereri, & solatium piæ patronæ incitavit. Igitur fraternæ consolationis promissis delibutus anchora spei in tantæ aduersitatis fluctuationibus domum redijt roboratus. Post hæc vero prædicto Duci grauisimæ infirmitatis plaga percusso beata Adelheida tam seuro, quam honesto vultu, nocturno silentio apparens, horribiles minas infernalis incendij potenter indixit, nisi famulo suo iniuste ablatum citius restitueret prædium. Princeps vero tam sensatus, quam venerabilis personæ inuectiua comminatione tremefactus, iniuriam patientem, calumniamque intolerabilem sustinentem festina legatione adduxit, eique amissæ possessionis ius, exposita prius miranda visione, & admodum tremenda minatione subitæ mortis, & perennis supplicij prompto animo redonauit. Extemplo homo tanta damna expertus, & tanta comoda consecutus, Domino D E O, & S. Adelheidæ condignas grates referens, ad eius Monasterium gratulabundus festinauit, complura donatiua Ecclesiasticis ornamentis, & necessitatibus fratrum accommodata contulit, & relata causa, vel modo restitutæ rei, nunquam cessauit à laude Adelheidæ, & omnipotentis D E I.

Anni voluto tempore, festiua lux Adelheidæ, nobis beatæ claruit, quam sæculum iam respuit.

Apostolici dogmatis instructa didascalicis sic vititur regalibus, vt vsa non sit fascibus.

Fudit opes largissimas, donis replens Ecclesias, regni facultas maxima dispersa pauit agmina.

Martham sequi decreuerat, amat Mariam pectore, securam Christum cernere.

Summo Tonanti gloria æterna sit, per secula, qui nos sacris solennijs iungat polorum gaudijs. Amen.

S. ADELHEIDIS.

Oratio ad missam.

Deus qui beata Adalheida diem concedis venerari solennem, fac nos eius suffragantibus meritis tuis semper obedire mandatis, per Dominum, &c.

Secreta.

Deus cuius filius unigenitus pro peccatis nostris sacrificium immaculatum in ara crucis seipsum obtulit, da nobis cottidianis intercessionibus B. Adalheida tales existere, ut tibi hostia uiua sancta, & immaculata effici valeamus. Per eundem.

Postcommunio.

Diuina libantes mysteria qua pro honore S. Adalheida, tua obtulimus maiestati, presta quesumus, omnipotens DEVS, ut per eam veniam mereamur peccatorum, & caelestis gratia donis reficiamur. Per Dominum.

Alia.

Omnigena benedictione quesumus, Domine, benedic nos, & protege, ut qui carnem, & sanguinem filij tui indigni sumpsimus, precibus, & meritis B. Adalheida S. spiritu incessanter repleamur. Per Dominum nostrum IESVM Christ.

Alia.

Concede quesumus omnipotens DEVS, ut qui pondere aggrauamur facinorum, B. Adalheida sentiamus suffragium. Per Dominum nostrum.

Antiph. Aeterna Trinitatis gloria in vno homine tricornuscant miracula, demone fugato, membrorum, linguaque soluuntur vincula.

Respons. O decus nobilitatis egregium, O pretiosissimum thesauri caelestis margaritum S. Adalheidis supplicum vota, Pia interuentrix, adiuuua.

Vers. In electorum multitudine laude digna, & interbenedictos benedicta. Pia. Gloria patri & filio, &c. Pia.

Hymnus

Hymnus de S. Adalheida
in primis Vesperis.

Anni voluto tempore, festiva lux Adalheida nobis beata claruit, qua seculum iam respuit. Apostolici dogmatis instructa didascalis, sic utitur regalibus, ut usa non sit fascibus. Fudit opes largissimas: donis replens Ecclesias, regni facultas maxima, dispersa pavit agmina. Martham sequi decreuerat, opus manu compleuerat, amat Mariam pectore, secuta Christum cernere. Summa Trinitati gloria aterna sit per secula, qui nos sacris solemnibus iungat polorum gaudijs.

Hymnus de S. Adalheida, in secundis Vesperis cantandus.

Sancta Adalheida plebi tua subueni, & nos ab hoste defendendo protege, sicque deuotos famulantes effice, ut tibi nostrum placeat obsequium, Inua nutantem ordinem monasticum, succurre clero, & gementi populo, princeps doce sectari iustitiam, ac simul totam sustenta Ecclesiam. Sit Trinitati sempiterna gloria, honos, potestas, atque iubilatio in unitate cui manet imperium, ex tunc, & modo per aeterna secula, Amen

Antiphon. Ad Magnif. Ecclesia generosam filiam laude frequentemus Adalheidam, qua natalium stemma quod morum compsit elegantia nominis titulat prerogatiua. Huius ergo meritis choris mereamur sociari supernis.

Inuitatorium.

Regi sponso iubilemus domino: Cuius est in manu S. Adalheidis gloria corona, regnique diadema, Venite.

In primo Nocturno.

Antiphonæ.

Beatam Adalheidam ex stirpe regia, velut aromaticam virgulam flores nobiles laturam genuit Burgundia.
Psalm. Domine Dominus noster, &c.

Hanc

S. ADELHEIDIS

*Hanc adultam virtutum germine fecundam ad regni
fascēs, secunda mox adoptavit Italia. Psalm. Cæli enar-
rant, &c.*

*Ubi regio fastu breui potita immatura regis est morte
destituta. Psalm. Domini est terra, &c.*

Verf. Diffusa est gratia.

*Respons. Bonitatis suæ diuitias ab electis suis DEVS
in presenti faciens prægustari. In arcis Romane monarchia
primo Ottoni beatam voluit Adalheidam sociari.*

*Verf. Vt par pari coniunctum ex binis preciosis me-
tallis unum fieret electrum. In arcis.*

*Respons. Hæc augustarum augustissima Romane Rei-
publ. multa subministravit commoda. Callens consilio,
pollens ingenio.*

*Verf. Romanis enim subdidit ceruicosam Germani-
am, fecundamque Burgundiam. Callens consil.*

*Respons. Beata Adalheidis fecunditate carnis in spem
regni. Genuit filium patri æquivoco imperio dignissimum.*

*Verf. Vt gratia DEI ad profectum multorum filios
videret filiorum. Genuit. Gloria patri, etc. Genuit.*

In secundo Nocturno. Antiphonæ.

*Quid inde laborum, quid pertulerit miseriarum nulla
mens concipere, nulla valet lingua explicare. Psalm. Eru-
ctavit cor. etc.*

*Affuit ei occulto DEI iudicio temporalis afflictio, qua
purgavit eam splendidius mundo obrizo. Psalm. DEVS
noster. etc.*

*Animam eius pertransiit gladius, sed per gratiam sa-
lutarem contritus est laqueus. Psalm. Fundamenta.*

Verf. Specie tua est pul.

*Respons. Pia recordationis Abbate Maiolo, regeque
Chonrado medantibus. Cito cum matre redijt in grati-
am filius.*

Verf.

Verf. *Erat in filio humilis penitudo, fuit in matre liber-
beralis remissio. Cito.*

Respons. *Postquam rebus humanis secundus decesse-
rat Otto, remansit Adalheidis cum nominis huius tertio.
Nepote paruulo.*

Verf. *Lugens regia discrimina domus, disponens re-
gnum cum optimatibus. Nepote paruulo.*

Respons. *O decus nobilitatis, &c. Vide supra in pri-
mis Vesperis.*

In tertio Nocturno.

Antiphonæ.

*Postquam viam carnis omnis ingressus est Otto, re-
mansit Adalheidis feliciter imperitans cum filio. Psalm.
Cantate, etc.*

*Aderat identidem pia DEI castigatio, ne cordis femi-
nei lasciuires exultatio. Psalm. Dominus regnavit*

*Sic enim sic Dominus erudit omnem filium quem re-
cipit, ut in prosperis teneatur humilitas, & in aduersis securi-
tas. Psalm. Cantate, etc.*

Verf. *Adiuuabit eam DEVS, &c.*

Respons. *Inter cetera pietatis, & bona actionis insi-
gnia diua augusta. Paterniacum in Burgundia, Salsam ve-
rò regali munificentia construxit in Francia.*

Verf. *Ibi nobilissima matris ossa recondens, hic se tu-
mulandam decernens. Paterniacum in Burgundia, Salsam
verò, etc.*

Respons. *Exterius S. Adalheidis proximis communi-
cabat cum Martha. Interius IESV pedibus adhærebat
cum MARIA.*

Verf. *In hac lacrimarum conualle disponens ascen-
siones in corde. Interius IESV pedibus, etc.*

Respons. *Exultatione solemnè iucundemur in DEO*

saluta-

S. ADELHEIDIS.

salutari, qui nobis in beatapîe prospexit Adalheida. Cuius excellens prerogatiua meritorum solamen laborum & fructum aeternorum nobis obtineant premiorum.

Verf. Huic ergo deuote nos commitamus, cuius decori virtutum praeftitit Dominus. Cuius. Gloria patri, & filio, etc. Cuius.

Antiphonæ ad Laudes.

Virtute dilectam dominus induit, claudus sanus exiliuit, multiplicatus denarius in opes adauauit. Dominus regnauit.

Illuminato ceco Dux Hermannus mandato corripitur, inuasio beneficis declinatur.

Regalis dignitas pro temeritate percussa post pœnitentiam sanatur, condignè sacer locus honoratur.

Miles calumnians post dira supplicia soluitur, anus claudicans salute letificatur.

Familiaris & aduena lumine donantur, loquente muto mater gratulatur, femina Metensis viuificatur.

Verf. Dilexisti iustitiam.

Super Benedict. Antiphonæ.

Coniubilans turba fidelis festum celebrans Adalheida, cuius mentem sincerissimam prophetia spiritus ex presenti & futuro de proximo tetigit longinquo.

Ad Tertiam Antiphonæ.

Subintroierunt igitur seminatores discordiarum, qui pium matris filijque conturbauerunt affectum.

Ad Sextam. Antiphona.

Beata vero Adalheidis prudens ira filij cessit, & ad fratrem Cunradum Burgundia regem secessit.

Ad Nonam.

Quae fauorabiliter à fratre suscipitur, ex eius aduentu

in diuina letatur, Vienna nobilis exultat, Burgundia tota tripudiat.

In secundis Vesperis Antiphonæ.
vide supra.

Ad Laudes. Virtute dilectam Dom. &c. Psalm. Laudate pueri, etc.

Illuminato caco &c. Psalm. Laudate Dominum omnes gentes, etc.

Regalis dignitas &c. Psalm. Lauda anima mea, etc.

Amore suo languidam dominus sanctam concupiuit Adalheidam, quam & moribus docorauit miris in plenitudine charitatis. Psalm. Laudate Dominum quoniam, etc.

Familiaris & aduena &c. vide supra in Laud. Psalm. Lauda Ierusalem, etc.

Verf. Dilexisti, &c.

Antiphon. super Magnif.

Hodie regis in laude calorum resultet curia, dum ex huius regina meritis exultat Ecclesia, qua pie quarentius apud DEVM obtinet hominis utriusque commoda.

Collegii Socii Jesu Paderborni 1694

